



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Infernus quid est. tit. 251

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

bit nos ab inuicem, sicut pastor oues ab hædis. Quarta, dicit ad eos, qui à dextris erunt, Venite benediciti. Quinto, tunc ibunt ij in supplicium æternum, &c. Ergo cogitemus de fide & charitate. Nam non sufficit nuda fides, Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, &c.

● *INFERNVS QVID EST*
TITVLVS CCLI.

PRIMO, Infernus est locus, in quo infideles & contemptores Christi punientur æternaliter, in quo erunt hæc pœnæ damnatorum: Primo, Tenebræ exteriores, Matthæi 8. Filij regni eijcientur in tenebras exteriores. Ecce prima pœna damnatorum erunt æternæ tenebræ: & hoc ideo, quia Christus est lux mundi, Ioann. 8. & hanc contempserunt per incredulitatem mali, nolebant hic illuminari fide Christi, qui illuminat tamen omnem hominem venturum in hunc mundum, Ioan. 1. Ob hoc sicut hic passi sunt tenebras interiores, ita nunc æternaliter exteriores tenebras. At inquires: Quomodo erunt hic tenebræ cum sit ibi ignis qui natura sua est lucidus, Matth. 25. Ite in ignem æternum? Respondeo. Lyra ait: Iste ignis erit fumosus & obscurus, nè aliquam consolationem afferat damnatis, id que ex ordinatione diuina.

Secunda pœna erit fletus, id est, tristitia animi perpetua: nam nunquam in æternum illis accedet aliqua animi consolatio, vel lætitia. Vnde Esaiæ, 66. & Marc. 9. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Sed inquires: Quomodo plorant damnati, cum ibi non sit lachrymarum effusio. Illa enim ex parte cerebri fit & corporis, quod dæmones non habent. Respondeo. Fletus primo ex tristitia animi procedit, & sic dicitur esse fletus in dæmonibus & damnatis, sed non quoad resolutionem lacrymarum, que ex cerebri

eerebri & oculorum perturbatione fluit. Et talis post iudicium etiam manebit: Quia cessante motu cæli, cessabit omnis generatio & corruptio.

Tertia pœna in inferno, inquit Christus, est stridor dentium, per quem designatur omnis dolor, quem damnati in corpore & anima patientur, id est, magnitudo & longitudo pœna. Per stridorem dentium non corrupitur corpus, sed tantum doloris magnitudo ostenditur: melius esset, non esse natum hominem, quam sic fore damnatum, Matthæi. 26. Et 2. Petri. 2. Melius fuisset, non agnouisse veritatem, quam post agnitam & cæt. Pœnæ huiusmodi sunt æternæ, non ad annum vnum aut alterum, sed ite, Iudex inquit, in ignem æternum, Matth. 25.

Secundò, ex prædictis pœnis agnoscitur nunc beneficium Christi, quod nobis cõtulit victima sua crucis, quia idèd sustinuit tam cruentas pœnas, flagellationem, coronationem spinosam, maledictam crucifixionem, vt nos ab æternis huiusmodi cruciatibus liberaret, vt nos iustitia sua mundaret, factus est pro nobis maledictum, Gala. 3. & 2. Corinth. 5. At inquit: nunquid nõ CHRISTVS destruxit infernum, sicut canimus tempore paschatis, quòd infernum vincit & astra tenet? Respondeo, Propheta Oseas 13 dicit quod dedit morsum inferno, Ero morsus tuus inferne, id est, Christus bonis & fidelibus destruxit ac debilitauit, quos trahere amplius ad se non potest infernus, sed malis & incredulis non est destructus. Nam Matthæi. 25, dicitur: ite in ignem æternum, qui paratus, & cætera. & Ioann. 5. Ibunt ij in supplicium æternum, id est, mali. Idèd timendus quoque est Deus, & nõ simus nimium securi & tardi nõ contingat nobis sicuti fatuis virginibus Matth. 25. quibus dicitur, Nescio vos.

Matt. 8.
13. 22. 24. 25
Luc. 13.

DE GLORIA NOVAE CIVITATIS.

NNn 4

TIT.